

Venientes autem venient cum exultatione, \*  
portantes manipulos suos.

---

138.

Domine, probasti me, et cognovisti me ; \* tu  
cognovisti sessionem meam, et resurrectionem  
meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe : \* semi-  
tam meam, et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti, \* quia non est  
sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et  
antiqua : \* tu formasti me, et posuisti super me  
manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me : \* confor-  
tata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo ? \* et quo a facie tua fu-  
giam ?

Si ascendero in cœlum, tu illic es : \* si descen-  
dero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diliculo, \* et habita-  
vero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me : \* et tenebit  
me dextera tua.

Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me, \*  
et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox  
sicut dies illuminabitur : \* sicut tenebræ ejus, ita  
et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : \* suscepisti me  
de utero matris mee.